

consideratione elucet: qui & ipsi non negligendi penitus, sed ad *ῥησιγνώσιαν* cautè sobrièq; adhibendi, & piis scripturæ *ἐρδνηταῖς* Bernhardi illud ob oculos ponendum: *Quocunq; loco fuero* (quocunq; etiam scripturæ loco fuero meditatione mea constitutus) *Jesum meum desidero, quàm letus cùm invenero, quàm felix cùm tenuero.* Atque hæc ut plurimum ratione (excipiendus enim primus homo, cujus typus in ipsis scripturis explicatur) quæremus etiam Salvatorem nostrum in patriarchali lineâ, Gen. 5. descriptâ: ubi circumstantiæ & nomina propria proponuntur ejusmodi, quorum consideratio non obscura præbet conjecturarum documenta, respectum ad futurum mulieris Semen, in Protevangelio promissum, fuisse à piis patribus (ex quibus Christus secundùm carnem est, Rom. 9. 5.) habitum.

L. I. ADAM, *ΑΔΑΜ* de quo cap. 5. quinque Adam, versibus primis agitur. Hunc typum CHRISTI esse, ostendit *homo.* dilucidè Apostolus, Rom. 5, 14. *Regnavit mors ab Adam usq; ad Moysen, in eos quoq; qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, qui est typus illius, qui erat futurus.* Latè alii hunc typum pertractant, ex quibus consule, si placet, Valerii Herbergeri magnalia Dei, lib. 1, p 328. seqq. Nobis brevitati, ob chartarum angustiam, studendum. Cæterùm ostendit inspectio scripturæ locorum, tractandum Adami typum esse 1. *ἀναλογικῶς*, ut convenientia ostendatur inter illum, & Salvatorem CHRISTUM. 2. *ἀντιθετικῶς*, ut hi duo invicem opponantur.

LI. Analogia & convenientia est 1. ratione nominis. *ΑΔΑΜ* Adam, hominem significat, & omnibus ex Adamo genitis, adeoque toti animalis ratione præditi generi, tam maribus quàm fœminis (unde *ΑΔΑΜ* nomen illorum, scil. masculi & fœminæ creatorum, *ΑΔΑΜ* Adamum fuisse vocatum à Deo, cap. 5, 2. dicitur) id nomen commune est. CHRISTUS 1. Cor. 15, 45. *ὁ ἕξατος* Ἀδὰμ, posterior Adam, & v. 47. *secundus homo* (respectu primi, Adami) vocatur. Ostenditur hic vera humana natura, quam *ὁ λόγος*

A a 2 filius